

05

A

1098





ἔν τῷ θεῷ.

DISPUTATIO LOGICA
De
PROPOSITIO-
NIBUS MODALIBUS,

Quam

Jehova prosperante,
In florentissima Wittebergensi Academia,

SUB PRÆSIDIO

Clarissimi VIRI,

Dn. M. MARTINI CASELII,

Amplissimæ Facultatis Philosoph. Adjunct.

Præceptoris ac Fautoris sui pluri-
mum colendi,

Publico examini submittit

JOHANNES KIRCHNERUS

natu minor, Eisfeldâ Francus.

Habebitur in Auditorio minori,

Ad diem 7. Septembris horis pomeridianis.

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS RÖHNERI

ANNO M, DC. XXXVI.



8601 / A 50



Περίουσιον.

Quantum reportemus emolumentum e nobilis
discipline Logices cognitione, prolixis ver-
borum ambagibus demonstrare possemus.
Ejus enim sive spectemus dignitatem, sive
expectemus utilitatem, tanta certe est, ut si
quis eâ neglectâ ad sublimiora sua studia pro-
vehere nitatur, plus nihil agat, quam in arenam edificet, in
aquam seminet, imò Phaëtonem & Icarum imitari videatur,
quorum hic sine pennis volavit, quod non est facile; ille Pa-
tris sui currum affectavit, quem regere ipsi impossibile, ideò &
ictu fulminis deflagavit. Ecquis est, qui ad scientias acqui-
rendas alias absq; Logica contendat? Nemo certe, nisi qui
montem conscensurus à cacumine inceperit. Hæc enim est ja-
nuæ. Ecquis est, qui recludendi veritatem sine Logica am-
biat? Nullus sane, nisi qui διαβολας ἀπρωϊα laboraverit. Hæc
enim clavis est. Dicat ergo Democritus demersam in puteo,
cui fundus non sit, veritatem esse, hæc eruit. Dicat Anaxa-
goras eandem tenebrarum caligine circumseptam esse, hæc in
lucem producit. Hæc est, quæ indagine quadam inveniendi
locos circumdat, & captam veritatem adducit. Hæc est, quæ
judicandi rationem tradit, ut omninò sine illâ facitè decipia-
ris. Ictus ergo, Medicus, Mathematicus de finit? huc accu-
rat oportet. Dividit? ex hac leges petat oportet. Distribu-
it? hanc consulat necesse est. Enthymemata, syllogismos, di-
lemmata proponit? unius dialectices beneficio proponit. Re-
tè ergè Vernuleus:

De themate omnigeno dialectica disputat, & qua
querendum in dubiis sit verum indagine monstrat.

Quare, cum tanta sit Logices utilitas, & juncta cum uti-
litate dignitas, meritò in acquirendis aliis disciplinis, ut præ-
ponatur, meretur. Nec reprehendendus sapientiæ plenissimus
Plato, qui hanc legem, quâ omnem adolescentiam literis con-
secratam ad ipsam adstrinxit, sancivit. Quibus monitis cum
& ego assurgere voluerim, questionibus aliquot doctrinam
Enunciationum modalium scitu per necessariam, sanè tamen
difficilem, breviter & succinctè adumbrare, illasq; publicæ dis-
quisitioni submittere proposui. Qui meus conatus ut cedat in
nominis Dei gloriam, meorumq; studiorum progressum felicito-
rem, est quod à Deo Ter Optimo Maximo humiliter conten-
dam. Sit ergò:

Continua primum.

An doctrina propositionum modalium Logice sit inse-
renda?

Thef. 1. Petrum Ramum ejusque antecessorem Ludo-
vicum Vivemsi sequi velimus, doctrinam hanc ceu plus quàm
necessariam nocituram ex agro logico extirpare, totamque ad
Grammaticam simpliciter relegare cogeremur, prout hic con-
tendit lib. 3. de causis corrupt. artium. Quid? quod unanimi
consensu omnes quasi nervos intendant, illam animis studiosæ
juventutis suspectam reddere; ceu magnam inaniam illorum
argumentorum copiam egregiè jugulavit Clarissimus ac Excel-
lentissimus Dn. D. Jacobus Martini, Præceptor noster devene-
randus, in *Discussionibus suis Ramist.* lib. 2. c. 4. q. 9.

Thef. 2. Verùm quid illos magis offendit, quàm quod vel
maximè perfectitudinem nobilis disciplinæ Logicæ absolvit,
ac sine quo utilissima ignorantia aliàs pede prætereunda necesse
haberemus? juventuti studiosæ, in cujus tamen utilitatem juras-
se deberent, nescio quâ fronte persuadentes, ut erroneam sen-
tentiam amplectendo utilitati dicam scribant. Unde varijs in-
eos.

eos scommatibus, qui firmiori credendum esse fundamento docent, insurgunt, eosque multifariam traducunt, quos inter haud ultimas tenet Georgius Dounamus *Comment. in P. Rami Dial. lib. 2. c. 4.* dum in hæc definit: Commenta hæc sunt ab hominibus malè feriatis in scholas introducta, quibus in legendis studiosi adolescentes bonas horas malè collocarent. Ego quidem (*sic*) sic judicare soleo, tricas istas & ineptias prorsus indignas esse, quæ non dico doceri, sed refelli ulterius debeant. Unde qui vel prægustum tantummodò de uberrimâ hac doctrinâ perceperit, videt, quàm stupidi & maleferiati ipsi sint, qui ea, quæ vel ipsi obæfæ naris homines non intelligunt: vel profligatâ malitia nauseant, tam audacter calumniantur.

Thef. 3. Nos autem maximam utilitatem, quam exinde metere possumus, considerantes, affirmativæ facillè subscribimus, eamque sequentibus probamus rationibus.

Thef. 4. Notari verò volumus 1. Aristotelem conscripturum hanc doctrinam id intuitum non esse, quo Tyronum ingenia irretita reddat, vel occasionem præbeat, multa spinosa, eaque magis incommoda, quàm frugifera exinde eruendi, quam in squillam ex malâ applicatione, nimîaque intentione Scholastici & Græci communiter inciderunt, ut nesciam, magisne illi doctrinam hanc exercuerint, quàm ea illos vexarit. Adeò certè sudatum hic fuit, ut diæterio locus sit datus: De modalibus non gustabit asinus. Unde etiam magnas spinas à spinosis his ingenijs intextas esse, quibus discipulorum ingenia lacerentur, non solidentur; ipsorum scripta satis prolixè docent. Quin potius si mentem Philosophi diligentius expendimus, causamque cur hujus doctrinæ tractationem præterire noluerit, ad rationis trutinam revocaverimus, inevitabilem ejus necessitatem, summamque utilitatem inveniemus.

Thef. 5. Nostram ergò sententiã sive confirmemus cum Aristotele *lib. de Interpret. c. 14.* ex diversitate inter eas propositiones, quæ simplices sunt, nudumque τὸ ἐνυπαρξεν designant, quales sunt: Homo est animal, Petrus currit &c. & illas, quæ modum τὸς ἐνυπαρξεν indicant, ut: Homo necessario est animal. Petrus contingenter currit &c. sive eandem stabiliamus ab insigni, qui

A 3

ex

ex cognitione hujus doctrinae oritur usu, assertionis nostrae nos poenitere non poterit.

Thef. 6. Sicco pede nunc praetereamus licet, quod nec Philosophia exinde suo careat fructu, quemadmodum videre est, & quotidiana testatur experientia, quando disputationes instituumus Ethicas, Physicas, aliarumve disciplinarum, praesertim vero Metaphysicas, ubi Necessarii & Contingentis peculiaris fit mentio: Uberrimam tamen persentiscunt utilitatem praesertim illi, Theologiae qui consecrarunt animum, dum multis in Christianae fidei articulis contra adversarios orthodoxam sententiam confirmare tenentur, ne quandoque conclusionem aliquam, quae minus contradicat, contradicere putent, totosve approbent syllogismos, qui multum absurditatis fovent.

Thef. 7. Nec quasi novae artis nihil habeat haec nostra doctrina, ac proinde specialem de illa in Logicis tractationem suscipiendam non fore, obtinebunt Ramistae: quum ut plurimum ἐλεγχτικῶς arguentur, formamque cum materia, ut πονηρὸν κόμματις disputatores solent, confundant, Enim vero materiae veritatem & falsitatem ex argumentorum affectione dependere, de facili concedimus, formam vero seu modum enunciandi, inficias imus: quippe qui juxta canonem illum tritum: Qui negat modum necesse vel contingens, non semper negat dictum in Enuntiatione modali, persaepe falsus; materia vero existente. Ut reliquas eorum vanas sophisticaciones taceamus.

Ἔτιμα secundum.

An propositionum modalium quatuor tantum sint modi?

Thef. 1. Ut quaestionem hanc rite explicemus, ac cuinam sit accedendum sententiae doceamus, primam statim fronte, quid per modum hic intellectum velimus, aperiendum est, ne ambiguitatis furo nos ludere accusetur.

Thef. 2. Modus ergo h. l. nobis non est quavis determinatio propositionis, ita ut solum illius quandoque materiam modifcet, ut in his propositionibus: Petrus currit velociter. Cicero loquitur eleganter: Aristoteles disputat sapienter, prout statuit Ramus, & Graeci communiter, innumerabiles hinc esse modos
asserent-

asserentes. Quamvis enim hæ & aliæ propositiones modum habeant, materialem videlicet, non tamen ipsam prædicati cum subjecto dispositionem, sed prædicatum tantum modificat.

Thef. 3. Nec 2. per modum intelligimus ejusmodi vocem, quæ extrema propositionis alicujus sive subjectum, sive prædicatum circumscribit, vel ipsum absolvit: Sic v. g. hæ propositiones: Quoddam Ens non est necessarium. Vel: Quod est necessarium, non est contingens, modales propriè non sunt, etiam si modi audiantur; Siquidem non ipsam dispositionem afficiunt: Sed in 1. 2. necessarium, quod aliàs modus dicitur, est ipsum prædicatum: in 2. verò vox altera est prædicatum, altera ipsum describit subjectum.

Thef. 4. Nec deniq; modi vocabulum in latiori hæc significatione sumimus, quâ orationis qualitatem ad rem enunciata[m] exprimit, quam sententiam suam fecerunt Aristotelis interpretes, Michaël Psellus *lib. 1. Synops. Organ. c. 10.* nec non Petrus Hispanus *in summ. log. parv. antiq. lib. 1. f. 44.* quâ in latitudine etiam Aristoteles *lib. de interpr. c. 14. §. 9.* Verum & Falsum inter modos numerat.

Thef. 5. Sed Modum accipimus in rigoroso suo significato, quatenus nimirum ejusmodi denotat determinationem Enunciationis, quâ ostenditur, sub quo modo insit prædicatum subjecto, an necessario, an v. contingenter; an prædicatum possit inesse subjecto, vel non possit, ut Excellentissimus Dn. L. Scharffius *in Instit. Log. lib. 2. c. 6.* annotavit.

Thef. 6. Quibus præsuppositis patet responsio ad naxias Ramistarum, dum nos insufficientis enumerationis modorum accusant, infinitos esse dicentes, à quibus vel subjectum, vel prædicatum, vel deniq; integra Enunciatio denominationem accipiat.

Thef. 7. Concludimus itaq; verbis Excellentissimi Dn. D. Jacobi Martini *l. d. p. 788.* Res de quibus mente humana cogitatur, vel sunt vel non sunt: Quæ sunt, actu esse dicuntur, ut enim aliquid est, ita actu est. Porro actu quæ existunt, vel aliter esse non possunt; quem existentia[m] modum per *neesse* circumloquimur: vel usu ipsis venit, ut aliquando non sint, quod cum exprimere volumus, modum *contingit*, adhibemus. Quæ non sunt,
vel

vel ita non sunt, ut esse possint, & aliquando actum existendi acquirere, quod vult modus possibile; vel ita non sunt, ut nullo modo esse possint, proindeq; illis omnis denegata est potentia existendi, quod per impossibile indicatur. Et ita sunt quatuor modi non plures, nec pauciores.

Σημῶν tertium.

An in oppositione inter propositiones simplices & modificatas detur quadam diversitas?

Thef. 1. Hanc ob causam Aristotelem maximoperè peculiariter de propositionibus modalibus doctrinam scribere voluisse, quòd in oppositione propositionum modalium singularis aliquid occurrat, oppidò patet ex ipsius verbis *Σημῶν*. 1. thef. 5. laudatis.

Thef. 2. Verùmenimverò contextum ipsum si probè pensulemus, & diversitatem & convenientiam quandam inveniemus inter propositiones, quas τὸ ἐνυπαρχεῖν, & inter illas, quas κατὰ τρόπον salutamus.

Thef. 3. Oppositionem enim modalium qui instituturus est, easdem consequentiæ leges ab absolutis revocandas, & mutandas habebit, quemadmodum unanimiter Logici statuunt, idq; dilucidè demonstravit Dn. D. Keslerus in *tr. de Conseq.* c. 13.

Thef. 4. Sicut enim in simplicibus prædicato adjungimus negationem, ut sit affirmationis & negationis discrimen: Ita quoq; quùm modi recensiti ad prædicatum pertineant, fit ut eidem modo addita negatio affirmantes negantibus opponat.

Thef. 5. Naturam verò modalium diligentius examinantes hanc imprimis ab absolutis inveniemus differentiam. In illis enim non ut in his esse, fieri, agere aut pati aliquid negatur, affirmaturve, sed necessario aut contingenter agere aut pati, esse, aut fieri affirmatur negaturve. Unde rectè Excellentissimus noster Philosophus Dn. D. Jacobus Martini p. 777. l. d. docet: Modales notant ac monstrant cohærentiam subjecti & prædicati, an illa sit necessaria, proindeque perpetuò omnique tempore vera, & essentialis; an contingens, adeòque non perpetuò sed quodam tuncaxat tempore vera, nec essentialis; an possibilis, & propterea nulla sit pugna inter subjectum & prædicatum, quæq;

quæque fieri possit, sive fiat necessario, sive contingenter; an tandem sit impossibilis, adeoque omnino simplex & absolute terminorum subjecti & prædicati repugnantia.

Thef. 6. Modus ergo primarium veritatis & falsitatis *κρίτη-
σιον*. Non enim temporis per verbum importati solum respectus habendus; verum ipsius modi qualitatis. Nec solummodo, an ita, ut verbum enunciat, res sese habeat, sed modi consideratio subeunda.

Σημειω quartum.

*Utrum propositio modalis legitime dividatur in
divisam & compositam?*

Thef. 1. Vulgaris est divisio propositionis modalis in divisam & compositam; nec desunt tamen diversæ de illâ opiniones. Quidam enim ut Fonseca in *Instit. Log. pag. 121.* de compositis Aristotelem solummodo egisse, adeoque illas verè modalium nomine venire dicit. Quidam, ut Talaretus *tr. 1. in summ. Hispan.* & alij contrarium fovent, & divisas tantum veras modificatas salutari; compositas verò tales propriè non esse, sed solummodo per similitudinem, quum modus in illis quidem inveniat, qui tamen modificandi vim non habeat, statuunt. Quidam verò ut Titelm. *lib. 3. Log. consider. c. 1.* utrumque genus amplectuntur, & solum, quòd habeant alium atque alium sensum, esse distinctas.

Thef. 2. Rectè verò Bartholomæus Nihusius in *tr. de modalibus c. 1.* triplicem inter illas monstrat differentiam. Et 1. quoad subjectum, dum hoc in compositis sit integrum dictum; in divisis verò simplex tantum terminus. 2. quoad prædicatum, quod in compositis nudus tantum modus; in divisis verò modus cum termino dicti altero. 3. quoad modum ipsum, qui (1.) in compositis perpetuò sit nomen; in divisis verò melius efferatur (quoties quidem fieri potest) adverbialiter, quia sic termini Enunciationis aliàs obliqui majoris evidentiae gratia redigantur in rectos (2.) in compositis semper sit prædicatum, quamvis non
B nunquam

nunquam per trajectionem antegrediatur: In divisis verò intra prædicatum & subjectum ponitur, illaq; quasi sejungit. Et quæ sequuntur alia.

Thef. 3. Quum igitur modus, ut dictum, in compositis reperitur, qui tamen enunciationis compositionem non determinet; sed vel subjectum vel prædicatum illius absolvat, cum Dn. Gutkio in *Eog. divin. lib. 1. c. 1. p. 316.* & aliis dicimus, quòd ab absolutis Enunciationibus parum differant, ideoq; propriè tales salutari non debeant, licet in comparatione ad puras Enunciationes impropriè ita vocari à multis soleant.

Σημειω. quintum.

Quomodo conversio modalium sit instituenda?

Thef. 1. Tota quidem de modalium formatione doctrina planè non caret suis difficultatibus: Cum primis tamen conversio earundem turbas quibusdam excitat, eandemq; obscuram reddere videtur; quum varij varias de illa concipiant opiniones, quas tamen, cum minus conjunctas esse cum utilitate nostrâ sentiamus, meritò præterimus.

Thef. 2. Lucro igitur magis quàm dispendio gaudentes dicimus, peculiare quid præter ea, quæ in simplicium observari solent conversione, hic non haberi, quippe quæ in quantitate & qualitate, ex quibus aliàs discrimen oreretur, cum absolutis conveniunt.

Thef. 3. Duas autem purarum propositionum propriè sic dictas dari conversionis species, videlicet simplicem & per accidens, satis in compendiis docetur: Pari ratione in his duas adhibemus, ita quidem, ut universalis affirmativa & negativa per accidens: particularis verò affirmativa, cum universali negatâ, simpliciter convertantur.

Thef. 4. Verum ut res eò facilior evadat, notari volumus. 1. casus obliquos in rectos mutandos esse æquè ac in absolutis.

Quis

Quis enim has propositiones: Oratoris est disertè loqui. Christianum oportet piè vivere, commodè convertet, qui prius istas in casus rectos non permutaverit hoc vel pari modo: Orator debet disertè loqui. Christianus debet piè vivere. Hoc v. observato, facillima fit conversio: Quidam qui debet disertè loqui, est Orator. Quidam qui debet piè vivere, est Christianus.

Thef. 5. Qualis igitur convertendarum absolutarum ratio; talis quoque in modalibus teneri debet, prout communiter doctores statuunt.

Thef. 6. Nec 2. floccipendendum, quod in conversione legitimâ primariò observari debet, ut extrema inter se totaliter convertantur. Sicut enim in absolutis hæc conversio meritò rejicienda est: Petrus videt Paulum. Ergò Paulus videt Petrum, quippè quæ ita formanda. Ergò videns Paulum est Petrus, quia prædicatum prioris non est Paulus, sed videt Paulum. Sic ad evitandas deceptiones in modalibus quoque probè est tenendum, ut in conversione illarum propriè dictarum modus unâ cum prædicato in locum subjecti transferatur, secus facilis est sophisticatio.

Thef. 7. His præsuppositis conversionem inductione omnium modorum instituere possemus, nisi coccyismum nauseam moturum fore vereremur. Unius ergò evidentia facilè in reliquorum nos deducet imitationem.

1. Per accidens.

*Omniem hominem necesse est esse animal, seu
Omnis homo necessariò est animal.*

ita:

Quoddam quod necessariò est animal, est homo.

2. Simpliciter.

*Nullum hominem necesse est esse lapidem, vel
Nullus homo necessariò est lapis.*

ita:

Nullus, qui necessariò est lapis, est homo.

B 2

Item,



Item:

*Quendam hominem necesse est esse animal, vel,
Quidam homo necessario est animal.*

ita:

Quoddam, quod necessario est animal, est homo.

Thef. 8. Compositarum five impropriè modalium conversionem facillimam æstimamus, ut quæ ad convertendum magis proclives, hoc unicum tantum notantes, quod quantitate omnes five de signo universalitatis, five particularitatis respondeant singularibus, & signa illarum non nuda syncategoremata sint, sed cum dicto constituent subjectum.

Thef. 9. Rectè ergò, si dicto addatur periphrasis quædam singularitatis, convertitur hoc vel simili modo: Hoc, quod dicitur: Omnem hominem esse animal, est necesse. E. Quoddam quod est necesse, est hoc quod dicitur: Omnem hominem esse animal. Nullum hominem esse lapidem, est contingens. E. Quoddam quod est contingens, est illud: Nullam hominem esse lapidem. Item: Hominem esse doctum est possibile, E. Quoddam quod est possibile, est illud: Hominem esse doctum.

Continua sextum.

Quomodo Equipollentia Modalium sit formanda?

Thef. 1. Neque hic consensum doctorum invenimus, ob rei, quam habet, difficultatem.

Thef. 2. Nostro iudicio, salvâ omnium autoritate, sequens erit verficulus est observandus.

Præ, contradic: Post, contra: Præ, Postque, subalter.

Thef. 3. Quo notato congruentia enumeratione omnium oppositionis specierum patebit, Sic enim æquipollentes reddimus.

I. Con-

1. Contradictorias.

Omne grave necessario deorsum tendit. Et:

Non quoddam grave non necessario deorsum tendit.

Item:

Quoddam grave non necessario deorsum tendit. Et:

Non omne grave necessario deorsum tendit.

Item:

Nullum grave necessario deorsum tendit. Et:

Non quoddam grave necessario deorsum tendit.

Item:

Quoddam grave necessario deorsum tendit. Et:

Nonnullum grave necessario deorsum tendit.

2. Contrarias.

Omne grave necessario deorsum tendit. Et:

Nullum grave non necessario deorsum tendit.

Item:

Nullum grave necessario deorsum tendit. Et:

Omne grave non necessario deorsum tendit.

3. Subalternas.

Omne grave necessario deorsum tendit. Et:

Non quoddam grave non necessario deorsum tendit.

Item:

Quoddam grave necessario deorsum tendit. Et:

Non omne grave non necessario deorsum tendit &c.

Septimum.

An modales exposita per adverbis mutant orationis sensum?

Thef. 1. A multis hæc nostra quaestio in dubium vocatur, propter duplicem, quam talibus affingunt propositionibus, significatio-

B 3

ficatio-



ficationem, divisam videlicet & compositam, ex hac mutatione orientem.

Thef. 2. Verum quomodo hæc opinio consistere possit, non videmus; nisi propositionem obscuriorem magis evidentem, reddere idem esse, ac sensum mutare sentiamus. Mutatione verò modi nominalis in adverbialem, propositionis sensum evidentiorum reddi, in omnium ferè Logicorum ore est. Unde etiam *Dn. D. Höpffnerus in Comment. Log. ad lib. 2. de Interpret. c. 12.* rectè ait: Modus in adverbium mutatus, & copulæ junctus, non mutat significationem priorem, sed eandem retinet, & exprimit, ut necesse est cælum moveri. Si necesse est mutetur in adverbium, & jungatur copulæ implicitè latenti in verbo moveri, hoc modo: Cælum necessariò movetur, non mutatur sensus, sed prorsus idem manet.

Thef. 3. Hinc concludimus: Quamvis istiusmodi mutatio, si aures consulamus, sensum quandoque alium inferre videatur; illud tamen non fit in moliori propositionis explicatione, per quam latens ille sensus manifestior apparet, ac obscuritas tollitur.



Scilicet



Scilicet antiquum DEUS obtinet usque, jacentis
 Haut cesat miseri tollere ad alta caput.
 Procurata aliis famulo mihi munera quondam,
 Nunc eadem famulo sunt tibi danda Mihi.
 Tu modò, ceu moneo, nunquam pietatis amatae
 Desine: non pigeat, volvere scripta Sophum.
 Deseret & Te sic non unquam JHOVA, quod opto,
 Et spero, junctum cum sit utrumq; tibi.

*Jacobus Wellerus SS. Theol. D.
 ejusdemq; Prof. Extraord. & Ebr.
 Lingv. Ord. Fac. Phil. p. t. Decanus.*

Non eruditionis ille nucleus
 Attingit, undiquaq; qui myrmecis
 Bonorum abundat, & labore nititur:
 Sed cui Deus benedictione adest sua
 Parvique temporis laborem haud impium
 Compensat ubertate fructuum bona.
 Solamen hoc, Kirchner, spesq; Tibi fuit
 Qui potius aliis servisti, quam Tibi
 Fretus Supremi gratia Patris: neq;
 Spes te fefellit. Nam laborem sat tuum
 Ditasse largiter Deum, nobis theses
 Testantur omnes, scripta Disputatio
 Quas Marte proprio exhibet magni Sophi
 Examinandas sedulis cultoribus.
 Hac queso pergas post via, (nam regia est
 Ex infimis adscendere ad summos gradus)
 Et eruditionis esse nucleum
 Vatebis, alij dum legent putamina.

Christianus Porlitijs Bregâ-Sil.
 SS. Theol. Stud.

Ad Præstantissimum nec non Literatissimum Dn. Respondentem.

Qui modos nescit Logices habere,
Ethices quicunq; modos habere,
utiles qui nescit habere, quantum
proficit ille?

Explicas illos brevior charta,
(Sic abes vulgo) magis eruditè:
Explices atq; hos ita sit necesse
quæritur, anne?

Qui modum vitæ potis est habere,
Is modestatem gerit in cerebro,
& docet plus fronte suâ serenâ
vulgus ineptum.

amoris, moris & honoris ergo fecit

Ludovicus Sieglerus Magdeb. Saxo.

Ad Dominum Respondentem amicum singulariter dilectum.

Joannes Chirchnerus Eisfeldâ Francus,

νατ' ἀναγράμμ.

Heu fers, ac fidens! an non hic Clarus eris?

Elabor.

Heu qua dura tuis studijs Sors invida fingit,
Æquò fers animò, ac provehis usq; fidens!
Annon Clarus eris, tandemq; his astra merebis,
Cum DEUS hic studijs dona repòsta dabit?

Urbanus Grunerus.

Differis argutè quid sint, Kirchnere, modales,
Ardua & illorum commoda nosse doces.
Nam modus & methodus levis est, obscura disertè
Explicat hiccè tuus, doctus, amice, labor.
Omnia dens Zoili rodie, (modo perge) superbum
Nec Zoilum cures, nam placet ipse sibi.

Amicitia signum, dabat intimo suo,

Johannes Frûcauffius Cob. Fr.

F I N I S.

05 A 1098


ULB Halle 3
003 765 318



1017







Ἐν τῷ Ἰεῷ.

DISPUTATIO LOGICA
De
PROPOSITIO-
NIBUS MODALIBUS,

Quam

Jehova prosperante,
In florentissima Wittebergensi Academia,

SUB PRÆSIDIO

Clarissimi VIRI,

Dn. M. MARTINI CASELII,
Amplissimæ Facultatis Philosoph. Adjunct.
Præceptoris ac Fautoris sui pluri-
mum colendi,

Publico examini submittit

JOHANNES KIRCHNERUS

natu minor, Eisfeldâ Francus.

Habebitur in Auditorio minori,

Ad diem 7. Septembris horis pomeridianis.

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS RÖHNERI
ANNO M. DC. XXXVI.